

gentarum marchiarum argenti treguam illam, quam D. Ubertus Mediolanensis præcepit, & habuerit, & Castellanos, & homines suos jurare faciet prædictam treguam firmam tenere in voluntate jam dicti potestatis Mediolani, & omnia prædicta juravit per Scopellum de Guagnono nuntium suum. Insuper D. Petrus de Petrasancta Alexandriae potestas nomine communis Alexandriae, consensu, & voluntate Ambaxiatorum ejusdem civitatis, scilicet Joannis de Guasco, & . . . Guastavini, & Jacobi 10 Guerreni, & Guillelmi de Rainardo promisit Petro Nigro potestati Aquensi nomine communis de Aquis, & suæ partis prædictam treguam tenere, & facere Dominum Episcopum, & castellanos, & homines prædictos omnia attendere in voluntate prædicti potestatis Mediolanensis. Versa quidem vice jam dictus Petrus Nigrus potestas Aquensis nomine communis de Aquis pro tota eorum parte promisit isti Domino Episcopo suo nomine, & nomine totius suæ partis sub eadem pœna quingentarum marchiarum argenti attendere, & observare, & hæc omnia promisit attendere, & super sancta Dei Evangelia juravit consensu, & voluntate Ambaxiatorum de Aquis. Hi sunt Jacobus Boccacius, & Belengerius de Serendico, Magister VV. Sordodo, qui jurare prædicta omnia attendere, & nunquam contravenire. Insuper D. Jacobus Butigella, & Bernardus Isembaldus consules communis Papiæ promiserunt consensu, & voluntate Ambaxiatorum ejusdem civitatis, hi sunt Gualfredus de Turricella, 20 & Oliverius Isembardus, & D. Rainerius de S. Nazario infra scripto Domino Episcopo stipulanti omnia attendere, & observare. Insuper promisit, & juravit una pars alteri restituere, & emendare omnia damna, & omnia facta, & omnes offensiones habitas, & factas a die Jovis proxime præterito citra, & per totum ipsum diem Jovis secundum mandatum prædicti potestatis Mediolan. Insuper D. Ubertus antedictus præcepit, & statuit prædictis partibus, ut prædictam treguam teneant in eundo, & redeundo, & in personis, & rebus, usque ad calendas februarii proximi. Item præcepit, & statuit, quod incarcerati dimittantur ab utraque parte faciendo idoneam securitatem redeundi in carceribus usque ad medium januarii proximi solvendo tamen guardias retro factas usque ad hunc diem, & homines, & castella, & loca in tali statu, & in tranquilla tregua permaneant usque ad prædictum terminum calendas februarii tali modo, quod una pars alteri nullam offensionem inferat, nec se intromittat de hominibus, nec de castellis, neque de villis, neque de locis, quæ altera pars teneret ullo modo usque ad dictum terminum. Et si discordia oriretur de facto guardiæ suæ, seu pensionum carceratorum, sive manulevatorum, seu securitatem eorum, sicuti Ambaxiatores, qui venerint Aquis statuerint, ratam habeant pro utraque parte. Item præcepit utrique parti, ut prædicta omnia attenderent, & observarent sub debito Sacramento, quo ei tenebantur, & sub eadem pœna 30 quingentarum marchiarum argenti, una pars alteri inter se vicissim promissa, prout supra legitur rato manente pacto, & omnia prædicta præcepit, &

statuit prædictus D. Ubertus, salvo tamen eo, quod a se foret additum, vel diminutum, prædictus D. Ubertus, & alii inter se contrahentes hanc cartam fieri rogaverunt. Interfuere testes D. Ubertus de Fontana, D. Jacobus de Bassignano, & D. Thebaldus Malacoriggia, & D. Ugo de Camerano testes &c.

*Fœdus inter cives Aquenses, & Dominos, ac Oppidanos Meladii.*

M C C V I I.

127

ANNO Domini MCCVII. indictione X. die Jovis V. nonas madii in refectorio Aquensium Canoniorum utroque consilio majore, & populi in unum per Campanam collecto D. Otto Rava, & Anselmus Morambonus consules de Meladio nomine, & vice totius communis, & castri dominorum de Meladio præsentem, & consentientem D. Arnaldo Naso Gatalano, atque Gulla, qui dicitur de Melazo, atque Podavinea, & Gullielmo fratribus, atque Alberto Cantono, & Rosfredo, atque Ardezone Triunto præsentibus, & consentientibus per se, & per omnes vicinos stantes, & manentes ex parte dicti castri dominorum, & per omnes, qui sunt, & esse voluerint ex parte ista, & per omnes suos hæredes promittunt, conveniunt, & constituunt se, & eos de cetero in perpetuum D. Petro Nigro Aquensi potestati nomine, & vice communis Aquis cum interposita stipulatione esse cives Aquenses veluti stantes, & habitantes in civitate, & quod erunt obedientes isti potestati, & omnibus rectoribus Aquis, qui pro tempore fuerint de omnibus his, quæ pertineant ad honorem, & utilitatem Aquensis communis, & civitatis facientes justitiam, & rationem per potestatem, vel per consulem, aut rectores Aquenses, qui pro tempore fuerint, id est si aliquis Aquensis, vel Papiensis de eis querimoniam fecerit; guerram, & pacem facere 40 omnibus hominibus, & locis quibus Aquensis civitas facere voluerit de personis suis, & de rebus de castro Meladii, turribus, & domibus suis non vetantes eas munitas, neque scaritas Aquensi civitati, & communi: immo dabunt eas Aquensi potestati, vel Aquensibus consulibus, qui pro tempore fuerint, & hoc facient quotiescumque civitas voluerit, vel fuerit necesse. Pace vero effectui data, omnia libera, & absoluta eis reddentur. Possunt quoque homines de dicto loco Meladii, cui voluerint de ipso loco guerram facere, dum tamen non sit contra commune, vel specialem personam Aquis, vel Papiæ, & sic totum in integrum ut supra, & infra legitur. Infra scripti homines per se, & omnes dictos, & heredes suos omni in tempore attendere, & observare tactis Evangeliiis jurant bona fide, excepto quod non debent aliquo modo aliquod fodrum se communi Aquensi, vel dacita civitati dare, vel facere usque ad tres annos proxime venturos, obligando omnia bona sua pignori. Verfavice iste potestas præsentem, & consentientem utroque consilio majore, & populi promittit bona fide & sine fraude per se, & omnes suos successores infra scriptos homines omnes, & eorum heredes adjuvare,